



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 7. Angeli Custodis apparitio, & patris ostensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

84. Cap. III. *Damnata femina exemplo, voluptates desinere in miseria.*
quod prætermisit; in vino, in ebrietate, in saturitate, semper incolumis extitit, & sana; in omni lite, & licentia, in omni temeritate, fortunata. Ad extremum vitam quoque finiuit prosperè, & cælo velut applaudente. Quid igitur dubito? quid hæreo inter sacrum & saxum? quid me ipsam in partes distraho, atque affligo? *Sic oportet me vivere, sicut mater vixit.* Satius est enim oculis credere, & ijs quæ manifesta sunt, quàm sibi futura & incerta promittere. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vitamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso & vinquentis nos impleamus: & non prætereant nos flos temporis.* Quemadmodum etiam hodie nonnulli ex desperatione pacis dicunt: Nihil ampliùs orabo: non faciam quidquam pro pace, quàm diu iam frustra orauimus? O miser, tunè Deo tempus præscribis? Quàm diu ille te expectauit? & nondum poenitentiam agis. Expecta & tu illum; qui non desistet nos bello castigare, donec nos peccare desinamus. Sed pergamus audire Virginem.

Sap. 1. 6.

VII.
ANGELI CV
STOLIS APPA
RITIO, ET PA
TRIS CEN-
SURE.

Plal. 36. 7.

In hunc modum ubi iuueniliter statui, inquebat, cæcòque consilio decreui misera, matris exemplo, voluptatem omnium malorum matrem amplexari, nox aërem, me somnus occupauit. Dormienti astitit quidam grandi corpore, (Angelus erat) aspectu horribili, qui contracta fronte vultuque ad iracundiam composito me intuens mirum in modum perterruit, voceque asperissima interrogauit: Et quænam verò sunt cordis tui cogitationes? Ego autem aspectu habituque eius tremefacta, oculos in eum figere non audebam, sed, vt territi solent, voce amissa, tacui. Cùm ille maiore quàm priùs voce vsus, denuò iussit, vt ea, quæ statueram, sibi recenserem. Ego autem timore plena, meique ipsius, & cogitationum mearum oblita; *Nihil esse dicebam.* Tum ille, me negante, omnia mihi, quæ tacita mecum meditata fueram, in memoriam ordine reuocauit. Quid facerem conuicta? falsa sum, quod decreueram, supplexque ad preces confugi; vtque veniam consequerer, causam candidè aperui mearum cogitationum. Quam postquam retuli, dixit mihi: *Noli amulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias.* Et quandoquidem diuersi moris parentes habuisti, & tibi placet alterutrius vestigijs insistere, veni mecum, & priùs vtriusque statum vide, postea quam volueris

Cap. III. *Damnata femina exemplo, voluptates desinere in miseriam.* 33

volueris vitam tibi elige imitandā. Dixit: & manu apprehensam secum traxit. Sequebar illum, & veniebamus in ingentem amœnumque admodum campum. Vbi horti floridi, varijs arboribus confiti jucundissimè inumbrabantur. Fructus autem diuersi & generis, & coloris, inter viridantes ramos, pependent. Tanta autem erat loci illius fragrantia atque pulchritudo, vt me in Paradisum translata existimarem. Inter omnia autem mihi gratissima, accidebat defunctus pater, lætissima mihi facie occurrens, atque in amplexum ruens, meque osculo salutans, & filiam suam appellans. Ego gaudij plena, in amplexu eius hærens, cum satiari eius aspectu non possem, rogitaui eum, vt mihi cum illo semper inibi permanere fas esset. Ille verò, Nunc, inquit, filia, non potes hie mecum permanere; quòd si autem vitæ meæ vestigia sequi volueris, certò huc, breuique tempore es peruentura. Addebam ego preces precibus, & cupiebam cum eo perseverare, sed qui eò me duxerat, iniecta manu, rursus me inuitam admodum & renitentem abstraxit, dicens: Ades, ostendam tibi & matrem tuam, vt scias, in cuius tibi mores sit declinandum.

Hic jam non Virginem illam ampliùs ea, quæ vidit, narrantem, sed, quæ narrauit, me ipsissimis Scripturis sacris confirmantem audite, ne somnia vos audire existimetis. 1. Rapta est spectatum inferni pœnas, *in terram miserie & tenebrarum operantem mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat: nimirum in tenebras exteriores; qui enim spretâ luce diuinâ & spiritali, amârunt tenebras mentis interiores, ijs meritò caligo tenebrarum reseruatur.* 2. *Petr. 2. 17.* quæ tenebræ exteriores vocantur, tum, quia sunt extra mentem in aère, vel ipso igne; tum quia sunt extra regnum Sanctorum. Ibi erat quidem ignis, sed sulphureus, qui parum lucet, & quidem luce non lata, sed pallida & mœsta, quæ, vt Plinius de sulphure scribit, *suo repercussu pallorem diuini presentibus suffundit.* 2. *Plin. lib 35. cap. 15.* Has tenebras augebat atra nebula, seu fumus sulphureus, iuxta illud: *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sacula seculorum.* 3. Hic fumus ex fornace sulphure ac pice plena, cum terribili stridore ac perturbatione, sursum tendebat, ingentesque excitabat procellas. iuxta illud: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum; & illud iudæ, quibus procella tenebrarum seruauit.* *Psal 10. 6.* *Iud. in epist. i. v. 13.*

VIII.

POENAE SEN-
SVS IN INPAR-
NO.

Iob. 10.

Matth. 8.